

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0362

0360

0366

0356

0371

0351

0411

0311

0461

0261

0861

Ende

Anfang

349

Desideravimus enim visitare et videre gloriosam illam speluncam duplicem, in qua sepulti sunt Adam et Eva, Abraham et Sara, Isaac et Rebecca, Jacob et Lea, quatuor isti sanctissimi patriarchae cum felicibus suis conjugibns, quam et Abraham emit quadringentis siclis argenti ab Ephor, ut habetur Geneseos XXIII., sed bene scivimus, quod non potuimus (**b**) habere aggressum ad speluncam sacram, nisi domini consenserint, quos etiam scivimus non consensum faciliter praebere, nisi forte victi precibus et muneribus, quia spelunca illa est intra muscheam unam, ad quam non permittunt nos intrare. Misimus ergo Trutschelmannum nostrum, Sabatithanco, magnum Calinum, cum aliquibus nobilibus peregrinis ad praefectum et ad dominos Sarracenos cum eo congregatos, et rogavimus, quatenus dignarentur nos intromittere ad speluncam sanctam, et quidquid in recompensam esset faciendum, hoc nobis insinuare deberent, et parati essemus, parere eorum imperio. Hanc petitionem cum Calinus noster obtulisset, interrogaverunt eum, an Jerosolymis in templum Domini, quod nominant Salomonis, intromissi fuissemus, et cum dixisset, quod non, dixerunt, nec nos intromittere ausi sumus eos in templum nostrum, quod non minoris, imo majoris sanctitatis reputatur ab omnibus Machometistis, quam templum Jerosolymitanum. Si autem honorare volunt patriarchas in spelunca duplice, permittimus eis accedere ad gradus muscheae, et ibi adorent, sed nullatenus ascendant. Venit ergo Calinus et negativum responsum nobis portavit duxitque nos ad gradus templi, in quo spelunca duplex est, et adoravimus contra speluncam et vestigia sanctorum patriarcharum deosculati sumus et indulgentias plenariae remissionis (++) accepimus. His peractis convertimus nos ad considerationem loci, pro quo notandum, quod tempore Abrahae civitas Hebron non erat in illo loco, sed prope, et locus ille erat hortus, in quo eminebat petra rubea cum duplice spelunca. Hunc locum emit Abraham cum petra, pro sui sepultura et suorum. Et si vis scire, quid sit cum simplici vel duplice vel triplice spelunca, vide de hoc clare P. 1. Fol. 125. B. de sepulchro Domini in Jerusalem. Sepultis autem quatuor patriarchis cum conjugibus in spelunca illa, incepit populus frequentare locum et per circuitum sibi domos aedificare

